

1567

DE
MORBIS GENERALIORIBVS

EX

VSITATISSIMIS POTVLENTIS

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, EXPERIENTISSIMO ET CELEBERRIMO
D. PHILIPPO ADOLPH. BOEHMERO

POTENTISSIMO BORVSSOR. REGI A CONSILIIIS AVLICIS,
MEDICINAE, ANATOMIAE ET CHIRVURGIAE PROFESSORE PVBL. ORDINAR.
ET FACVLT. MED. SENIORE ETC.

P R O

GRADV DOCTORIS IN MEDICINA

ET PRIVILEGIIS IMPETRANDIS

AO. MDCCLXXIIII. D. VI. M. SEPT.

H. L. Q. G.

P V B L I C E D I S S E R E T

AVCTOR RESPONDENS

TRAVGOTT CHRISTIANVS TAVBNERVS

LAVBANENSIS LVSATVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

S T A N N O H E N D E L I A N O.

l. gen.
8,18.

Potus.
Actio. V.

Pathologia. 298.

V I R O

ILLVSTRI ATQVE CONSVLTISSIMO

MARTINO GOTTLIEB

P A V L I

IVR. VTRIVSQVE DOCTORI

DIGEST. VETER. PROFESS. PVBL. ORD. CVR. PROV.

CONSIST. ECCLESIAST. SCABINAT.

VT ET

FACVLT. IVRID. ASSESSORI

FAVTORI SVO ATQVE AVVNCVLO

P I E C O L E N D O

H O C

SPECIMEN INAUGURALE

VT

S V M M A E R E V E R E N T I A E

S I G N V M

D. D. D.

A V C T O R.



§. I.

Ratio instituti.



Cum nostra corpora animalia ex solidis & fluidis, solida superantibus, constant: sunt iis etiam similia ad conseruationem, restaurationem seu nutritionem necessaria. Petuntur haec, alimenta sic dicta, ex regno imprimis animali & vegetabili, parum ex minerali. Praestant autem non solum machinae conseruationem, sed etiam vario modo & non raro eius morbos causantur. Verum alimenta sunt vel solida vel fluida. Quae fluida, plerumque dicuntur potulenta, solida autem alimenta. Et de fluidis alimentis aut potulentis eatenus, quatenus nocent, differendi est noster conatus; sed de vsitatissimis tantum & eorum partibus dicamus, & denique modo eos inde pendentes morbos, qui generales sunt,

A

sunt,

sunt, demonstrabimus. Et cum, vt de valde nota idea, quid morbus? nempe actionis qualiscunque vel etiam plurium laesio, multum differamus, nobis non necesse esse videatur, rem ipsam haud facilem, tantum, quantum in nobis est, aggredimur.

§. II.

De potu in genere & potuum diuisione.

Omnia fluida, quae per suas particulas sitim extinguendi vim habent, potulenta dici possunt. Haec descriptio seu definitio etiam continet aegrotorum potulenta medicata e. g. infusa, decocta & aquas varias medicatas, egranas, selteranas &c., de quibus nil dicamus, ne nostra elaboratio nimis ampla euadat. Nam si de illis tractarem, non solum esset eorum, sed etiam valde diuersarum conditionum, in quibus adhibentur, consideratio necessaria; igitur modo de illis, quibus sani plerumque vtuntur, agamus. Haec potulenta credimus, summo iure meritoque in tres species, quarum genus, vt summum principium, aqua est, nos diuidere posse. Vna sit aquosa, altera spirituosa, & tertia oleosa. Aut si placet, dici potest, potulenta esse vel simplicia, quo in numero modo aqua pura est, vel composita, ad quae reliqua omnia potulenta pertinent. Prior diuisio sit nostra, qua potulenta a nobis proponenda sunt, nam a particulis pluribus, aqua excepta, fluidis nuptis, est desumpta.

§. III.

§. III.

De potulentis aquosis.

Ad potulenta aquosa in sensu proprio modo potuum *De aqua.*
 summum genus, nempe aqua, pertinet; attamen ad hanc spe-
 ciem adhuc illa, in quibus particulae spirituosae aut oleosae non
 adeo evidentes sunt, referamus. Omnia potulenta vero per
 particularum aquosarum copiam & actionem sunt diluendi
 vi praedita. Quid aqua? est notum. Aqua pura, ex fontibus
 & regionibus montanis plerumque optima, alienis partibus
 carens, est, igne & aëre excepto, simplicissimum, naturale,
 leue, per particulas inhaerentes igneas fluidum & ad
 fluiditatem aptissimum, odoris & saporis expers corpus
 humidum & penetrabile, quod in suo statu naturali i. e.
 frigido frigoris ope solida roborat, ferme fluida, quatenus
 solida roborat, aliquo modo densat, acria soluit, eorum po-
 tentiam infringit, & liquida corporis meabilia reddit.
 Eiusmodi aqua cito calefcens citoque refrigescens ^(a) est
 leuis, quapropter talis pura & frigidiuscula est sumenda,
 nam difficulter nocere potest. De frigidae aquae noxis vero
 infra. Aqua calida solida relaxat, fluida soluit & attenuat.
 Haec est melior quam frigida, quatenus nempe si aqua frigida
 impura est, per leniorem coctionem corrigitur. Pura frigi-
 diuscula vero aqua corrumpitur coquendo. Aqua calida est
 magis composita, quam frigida, nam eius particulae igneae

A 2

ma-

(a) vid. Hippocrat. Aphorif. Sect. V. Aphor. XXVI.

magis sunt euolutae, & in substantiam causticam, acidum pingue dictam, sicuti Bernerus ^(b) vult, quasi mutatae; quapropter facilius linguae sensum imprimit. Ex quibus omnibus nunc diaphoretica vis patet. Haec de aquae frigidae & calidae virtutibus. Quo modo noceant? est deinceps declarandum. Potulentis aquosis annumeramus adhuc illa infusa & decocta, propter consuetudinem quotidianam fere non ad *de Thea.* medicamenta pertinentia, Theae & Caffeeae. Varias theae species sunt; imprimis thea imperialis, viridis & theebou in communi vita & consueto potu adhibentur. Quorum infusa, recenter parata, odorem subbalsamicum & gratum, saporem paululum amaricantem & subadstringentem, qui a particulis gummoso - mucilagineis, paucisque resinosis cum acido - terrestribus pendet, habent; humores & viscidum diluunt, resoluunt, mouentque imprimis tepide vsurpata ad renes, adhibita calide vero ad cutem, vbi resolutos & attenuatos humores euacuant; denique, quod ad solida pertinet, leni stimulo agunt. Infusa dudum praeparata diuque conseruata illas virtutes vix praestant, quia substantiis balsamicis & in genere vtilibus efficacibus particulis maxime priuantur, sed potius nocent, de quo suo loco. Attamen semper est vsus eorum ex hominum, qui illis infusis vtuntur, consideratione diiudicandus; nam e. g. infusum, quod vero nunquam adeo concentratum fit, recens, prodest hominibus viscido repetis, non adeo irritabilibus & ficcioribus, diu asseruatum vero laxis, frigidis &c. An haec infusa ma-
iori

(b) vid. eius mat. med. §. 69. de aqua calida.

iori commodo calide aut tepide adhiberi, debeant? determinat cuiuslibet status hominis in specie. *Caffea*, quae post *de Caffea.* tostionem in aqua vel coquitur vel ea infunditur, sit nobis adhuc recensenda. *Caffea*, cuius optima species levantica est, constat ex non paucis particulis mucilaginis, oleoso-resinosis & in se quoque spectata, ex aquosis. Et cum oleosae eius partes subtiles per tostionem magis empyreumaticae & evolutae fiunt: eius infusum & decoctum ut medicamenta carminatiua agunt, quae etiam vere sunt, etsi ea mos ex istorum medicamentorum numero excludit. Eis praeparatis inest vis stomachica, grate & diu stimulandi, calefaciendi & humorum motum intendendi. Et haec praecipue particularum oleosarum empyreumaticarum ope praestant; aquosas vero partes minuendi & corpora exsiccandi virtus, a particulis terrestribus & mucilaginosi dependet. *Caffea*, ut carminatiuum, digestionem promovere, ventriculum roborare & ope menstrui, quo paratur, ut potus fiat, in urinarias vias agere potest. In theae & caffee potulentis est semper partium efficacium respectu eorum menstruum, quo solutae sunt, considerandum. Nam hi potus multa eorum quae de aqua sunt dicta, quaeque ab aquae natura pendent, praestant. Frigide etiam infusa adhibita habent sicuti aqua vim in renes agendi, & varias proprietates, quae aquae frigidae adscriptae sunt. Calida infusa vero magis diaphoresin & relaxationem, quibus virtutibus etiam aqua calida est

praedita, promovent. Quibus autem Caffaeae infusa aut decocta sunt danda, non accuratissima certitudine est dicendum; lubentius autem eius infusum ordinaremus, quia hoc crassis & crudis terrestribus partibus pluribus caret, decoctum autem plures possidet; laxis imprimis, frigidis, & iis, quibus digestio laesa est, caffaeae potulenta ordinanda esse nobis videntur; siccis autem, plethoricis & calidis non sunt permittenda. Haec de caffaea, quae non ut medicamen sed potus ordinarius copiosissime adhibetur; eius incommoda continuatio docebit. Nunc de illis, quae caffaeae non raro substituuntur, e. g. fecali, tritico, radice cichorei &c. diceremus, attamen haec transeamus, partim, quia multa eorum, quae de caffaea sunt dicta, de his quoque valent, partim vero, quia non cupimus, potibus non usitatissimis immorari.

§. 4.

De Spirituosis.

Alteram potulentorum considerandorum speciem spirituosam constituunt. Potulenta vero spirituosam illa nomino, quae vi analeptica & reficiente, in nonnullis etiam nutriente, sunt praedita. Valde diversa sunt haec potulenta, nam multa ad hanc speciem pertinent. Usitatissima sunt cerevisiae, vina & vinum adustum; de quibus etiam differamus. Illa vero, magis composita, & in communi vita minus usitata, e. g. Limonade, Sultan & alia, quae leviora sunt, Punch vero, Bischoff

Bischopp &c., quae graviora, praetermitto. Cerevisiae, in nostris regionibus notae, parantur plerumque vel ex tritico, vel hordeo, lupulo adiuncto. Priorae sunt notas cerevisias albas seu dulces, variis nominibus e. g. Breyhan, Tuchstein, Gose &c. signatas. Posteriores sunt fuscae, amarae mox in maiori, qualis e. g. Martisburgensis celebrata, mox in minori gradu, cuiusmodi Manheimensis est. Cum nunc cerevisiae ex diversis conficiantur, sequuntur quoque ex his diversi effectus & variae vires. Cerevisiae dulces linguam grato & amoeno spirituofo sapore stimulant, refrigerant, aestum temperant, sitim magis, quam amarae, extinguunt, humores attenuant magisque ad diureticas vias dirigunt, & per particulas mucilagineas inhaerentes nutriunt. Hae, si bene fermentatae & defoecatae sunt, calidis magis, quam frigidis sunt commendandae. Cerevisiae amarae vel lupulatae sunt in effectibus magis quam dulces diversae, quia in nonnullis multum, in aliis lupuli parum est, quia in variis locis hordeum magis quam in aliis torretur, & lupulus plus minusve coquitur; ipsa denique aqua & aër differentias generant. In genere habent saporem amarum & subbalsamicum, vim roborantem, motum humorum augentem, aestum cientem & magis quam dulces nutrientem. Saturatae robustis, tenues vero debilibus profunt. An pro potu ordinario dulces aut amarae cerevisiae sint eligendae, determinat optime peculiaris cuiuslibet hominis status. Attamen, quia dulces facilius acescunt: ne corpus detrimen-

tum

de Cerevisiis.

de Vinis. tum inde capiat, saepe sunt amarae praeferendae. Per uvarum expressionem accipimus crudum, foecibus multis praeditum, valde fermentantem succum, dulcem & spirituosum, mustum dictum; ex quo quodam tempore praeterlapso vinum non adeo fermentabile oritur. De musto, non adeo usitato potu, nil dicamus, sed modo de vinis, quorum usus est frequentissimus. Vina ex spirituosa, salino-acida, oleosa, terrestri substantia & potulentorum principio, nempe aqua constant. Ex his diversis particulis haud difficulter vinorum diversitas est concludenda. Vinorum bonitas ex varia subtilium spirituosarum, acidarum, & oleosarum particularum copia, & aquosarum, terrestrium & particularum peregrinarum defectu absentiaque est diiudicanda. Vina plurima in tres (a) species sunt, propter eorum principia, dividenda. Illa, quorum sal & spiritus magis evolutus, & volatilis, & cum non paucis oleosis particulis coniunctus est, vina spirituosa dici possunt; eiusmodi Burgundicum, Campanicum &c. Ea, quae easdem particulas spirituosas vinis proprias cum partibus oleosis autem magis involutis habent, oleosa dicuntur, cuiusmodi Tockaviense, & alia Hungarica, Hispanica &c. vina. Illa denique, in quibus praeter aquam maxima pars salino-acida, cum spiritu autem & oleo etiam coniuncta, est, vina acida sunt; exempla sunt vina Rhenana Wertheimensia &c. Sapor facile demonstrat, quam ad speciem

(a) Vid. Poernerum l. c. §. 345. de vinis.

speciem haec vel illa vina pertineant. Prioris speciei vina se produnt sapore subacido, exsiccante paululumque adstringente; alterius, sapore quasi calefaciente; tertiae denique, ope saporis acidi, adstringentis & refrigerantis. Quae ex his non adeo, linguae admota, adstringunt, sunt vina acida alba e. g. Austriaca, Mosellana &c., alia vero, magis adstringentia, rubra e. g. Pontac &c. sunt. Nunc de vinorum virtutibus. Diluendi vim vix habent, nisi propter eorum nimium usum aquae multum corpori datur; & huius quoque respectu paululum modo seu potius vix attenuant, quia semper vinorum aqua particulis exsiccantibus est nupta; quatenus vero vina per sal acidum humores resolvere queunt, eatenus quoque attenuant. Fibram muscularem vina stimulant, irritant, exsiccant, nerueam grato sensu afficiunt, fluidum nerveum ipsum non solum augent, sed etiam commouent, aliorum humorum motum quoque excitant, promouent & sustinent, eorum aquam dissipant & oleum soluunt. Ex quibus nunc patet vinorum omnium, nam cuncta modo in diuerso gradu haec praestant, vis analeptica. Vehementissime & citissime, attamen non diu, agunt vina spirituosa; non adeo cito & vehementer, diutius autem, oleosa, & medio modo & magis quam illa roborando acida. Igitur in sano statu plerumque haec sunt suadenda; nam, nisi in abusum conuertantur, plurimis hominibus conducunt. Considerationem Cider & Meeth transeo, ne nostra elaboratio fiat nimis longa & extensa. Vini adusti, plurimis noti, usus est raro concedendus, *de vino ad-*

B

nam ^{usto.}

nam plerumque nocet. Eius vires sunt eadem, ac vini, fortiores autem; nam maxime ex vinorum principiis, magis concentratis, constat. Ex quibus patet, modo frigidis robustissimis id potulentum in parca dosi vtile & analepticum esse. De hoc potu plura in morborum consideratione differendi nobis erit occasio.

§. V.

De oleosis.

Potulenta, multis gelatinoso mucilagineis, pinguibus vel nutrientibus particulis praedita, sunt nobis oleosa. Ex his praecipuum & notatu dignissimum est lac. Lac autem est humor albus, ex alimentorum optimis per mammas elaboratus. Ex quibus lactis differentia patet, quae ab alimentis & fabrica, structura & statu organi, lac praeparantis, pendet. Constat ex aqua, terra, sale acido & oleo. Ex his probat aquam, feri, mucilaginosi tenerioribus particulis semper referti, praesentia; terram, pars caseosa; sal acidum, procliuitas, omnibus nota, ad acescentiam; & denique olei copiosi praesentiam demonstrat butyrum, e lacte paratum. Lac humanum vero omnium optimum esse censetur, hoc bonitate excipit asininum, sequitur caprillum & denique vaccinum. In dictis brutis lac maii mensis, ob herbas recentes, quibus ut alimento utuntur, iudicatur optimum. Vires ex particulis miscibilibus facile sunt diiudicandae; gaudet nempe lac virtute attenuante, emolliente, acrimonias inuolvente & dul-

ci-

cificante, lubricante & imprimi valde nutriente. Propter multas oleosas partes eius vsus requirit digestionis vires bonae notae, & validas; in genere autem est perpetuus eius vsus non laudandus. Lac autem, caffee infuso aut decocto nuptum, non est contemnendum, quia hac ratione lactis & dicti potus effectus imminuuntur. Oleosis potulentis accenseri nunc chocolata meretur, qui potus plerumque ex cacao, vaniglia, saccharo, in lacte cum ovis coctis, compositus est. Eiusmodi potus multas nutrientes, inuoluentes, & si cum aromatibus est remixtus, analepticas & calefacientes vires habet. Si chocolata in aqua aut vino coquitur, eius naturalis vis praecipua nutriens vel debilitatur vel augetur, & calidior redditur. Varia potulenta, quae praeter recensita sunt frequentiora, breuitatis causa autem a nobis praetermissa, et morbos ex his, legi possunt in quadam Cl. Linckii scriptiuncula de noxis ex potu. Quales & quomodo nunc morbi ex consideratis potulentis in corpore oriantur, sequentia declarabunt.

§. VI.

Quomodo potulenta laedant.

Fluida varia, quae ad sitim extinguendam sumuntur, vario modo solida & fluida corporis maxime compositi humani laedere possunt. Cum vero solida semper ex fluidis restituantur & restaurantur: inde consequitur, solidorum & partium compositarum morbos plerumque, si externae lae-

fiones excipiuntur, a fluidis pendere. Ex quibus nunc elucet, solidorum & partium compositarum morbos ex potulentis, modo ex morbis, qui antea in fluidis ex potu orti erant, generari. Potus autem laedunt I. quantitate, dum vel in abusum vertuntur, vel nimis parce aut plane non adhibentur; II. qualitate, quod fit, vel ob inhaerentes particulas miscibiles, vel ob peregrinas, aut in potulentis ipsis, aut corporibus, quibus applicantur, praesentes; III. quantitate & qualitate simul, qua ratione frequentissime nocent, & denique IV. sub quibusdam conditionibus.

§. VII.

De morbis ex potulentis aquosis.

Aquosa potulenta, si in nimia copia adhibentur, humores nimium attenuant, diluunt, & eorum consistentiam tollunt. Etsi vero haec in statu frigido & calido praestant; attamen in priori imprimis non in tanto gradu haec praestant, quia in hoc rursus eis est vis roborandi & adstringendi, quod aquae frigidae usus & forbitio, docente Ill. v. Swieten, in narium haemorrhagiis, quae non raro hoc medicamento tolluntur, probat; itaque frigidorum aquosorum abusus etiam constringendo laedere & corpora rigida reddere potest. Contrarium observatur in calidis, quae dictos effectus in maiori gradu praestant; nam fibram muscularem, dum eius gluten adeo diluunt, & resoluunt, laxam & debilem reddunt, humorum naturam debilitant, ad cacochymiam disponunt, & in gene-

re

re totum corpus ad cachexiam procliuius & aptius red-
dunt. Haec vitia ab aqua, thea & caffea, valde diluta,
producuntur; interim in posterioribus est laedendi ratio
particularum magis compositarum respectu diuersa; de
his autem in consideratione morborum ex qualitate &
quantitate simul. Si nunc, per horum potulentorum
abusum resoluti, humores vel cutis vel vrinae viarum ope
in nimia copia euacuantur, quo etiam optimae & gelati-
noso nutrientes humorum particulae simul excernuntur,
haud difficulter ex his corporum atrophia oriri potest.
Et imprimis ob nimiam relaxationem & eius effectus, est
potus aquosi calidi abusus vitandus, qui abusus nostris
temporibus certo multorum morborum causa est. Aquae
purae frigidae copia raro nocet, attamen non est etiam,
specialium morborum variorum e. g. ventriculi exten-
sionis &c. causa, sumenda. Sicuti vero aquosorum
potulentorum adeo frequens vsus corpora laedit, ita
quoque est nociuum, si ea aspernuntur, sic quidem,
vel parua in quantitate, vel plane non adhibeantur.
Nam nostra fluida nec minus solida constare ex sale, ter-
ra, oleo & non pauca aquae quantitate, omnes physio-
logi docent. Ex his praemonitis particulis nunc facile
potulentorum vsus est colligendus; nam sal, terra &
oleum sunt diluenda, ne humores spissiores & acres eua-
dant, & aqua est resarcienda ob humorum fluiditatem, &
vt eius ope illae inutiles subtiliores particulae, in corpori-

bus præsentibus, vel per urinam vel per transpirationem promoveantur, & ne solida imprimis rigida fiant. Et cum maxima nostrorum humorum pars, aqua est, erit necessarius potus aquosi usus, ne keneangia seu oligochymia, quae fluidorum quantitas imminuta est, oriatur. Et ferme similes effectus morbofi sunt etiam semper ii, qui vel omnes simul vel separatim nos bibendi necessitatem, cuius sensum sitim appellamus, docent. Qualitate & vi inhaerentium naturalium particularum aqua nocere nequit, nam in statu naturali nullis inutilibus particulis gaudet, sed pura est; possidet quidem partes igneas, in calida magis evolutas & auctas, & æreas, quae vero vix inutiles dici possunt. Attamen, si aqua natura nimis est frigida, & sic sumitur, obstructiones ex ea gignuntur. Quid ex aqua calida, ut parte peregrina repleta, oriatur, erit dein demonstrandum. Respectu corporis nempe aquosi forsan aquae purae natura levis esset nociva dicenda, attamen vere rarissime: Theae vero infusum, & imprimis diu paratum & digestum propter particulas acido-terrestres nimis adstringere, humores aliquo modo densare, eorum lentorem & tenacitatem causare, fibram muscularem irritare, itaque famem excitare potest. Ex quibus corpora, a statu naturali vario speciali modo recedentia, & solida imprimis rigida oriuntur. A Caffee vero infuso aut decocto praecipue nimis concentrato & saturato, nascitur motus humorum auctus, a quo non raro orgasmus, aestus, tremores, phlogoses, cephalagia & alia

alia morbosa symptomata pendent; a partibus oleosis empyreumaticis gignitur humorum imminutio; & denique solidorum exsiccatio a particulis terrestribus & mucilagineis. Haec omnia facilius & maiori vi efficiunt malae notae species caffee, & residui iterata coctio seu potius decoctum aut infusum secundarium, ex cuius usu non raro flatulentia & viscerum obstructions producuntur. Aquam puram non nocere, diximus; contrarium autem valet de aqua impura, quae plerumque per particulas peregrinas, quas in se continet, laedit. Aqua impura est plerumque aqua fluminum limosa, nimis particulis terrestribus praedita, quae non raro humorum spissitudini, immeabilitati & obstructionibus ansam praebet, quod obstructa viscera & scrophuli illorum hominum, designata aqua impura utentium, probant. Aqua vero, nimis salinis partibus imbuta, est quoque impura & nociva, nam humores per vim salinam resolventem vel nimis resolutos vel per salium acrimoniam acriores reddit. Aqua pura non nimium igneis particulis scateat, nec ab eis calidissima & fervens facta sit. Nam haec quoque impura aliquo modo dici potest, & per has peregrinas partes laeditur lingua, ex qua varia symptomata morbosa tunc oriri queunt. Multa eorum, quae de aqua impura sunt dicta, praestant quoque infusa & decocta theae & caffee, si nempe eiusmodi naturae aqua parantur. Theae vero ipsius substantiae peregrinae partes admisceri, & naturalis eius qualitas
laedi

laedi potest, si non iusto tempore colligitur, rite exsiccat, affervatur, aut si navium ope transmittitur, aut si situ corrumpitur, propter quas conditiones nimium aquosis, crudis & nocivis particulis repletur. Ex quibus nunc elucet, ob has partes theam magis noxiam esse, nam nullas §pho 3. laudatas virtutes in hoc statu praestare, sed magis magisque primas vias debilitare, & ita digestionem laedere poterit. Caffea nunc, si tali modo, quali thea, est corrupta, suas quoque efficaces & vtilis in §pho 3. enarratas particulas amittit, & a peregrinis vel inefficax vel noxia redditur; quod etiam imprimis per caffae tostionem perficitur; nam si per eam oleosae partes vel non rite sunt evolutae, vel nimium, & ferme fabae sunt ustae, est ex iis paratus potus hoc duplici modo utilitate privatus; imprimis vero nocet modo, quem ultimo loco innuimus; nam in nimia tostione mucilagineae particulae avolant, & residuum est sola terra iners & noxia, quae humores condensat, solida exsiccat, & digestionem, primarum viarum munus, laedit, ex quo febres & varii morbi enasci possunt. Aqua, thea & caffea optimae qualitatis nocent, si peregrinae particulae, his potentis inimicae, aut amicissimae, in corporibus, quibus applicantur, sunt. Singularis corporum idiosyncrasia, qua nausea erga vel omnia aquosa, vel singulare oritur, indica peregrinas particulas inimicas, qua ratione vomitus nocivi generari queunt. Particulae amicissimae, quae potentia aquosa nociva reddunt, sunt illae, quae eum po-
tuum

tuum particulis maxime consentiunt. In genere vero particulae amicissimæ nocivæ fiunt, quia iamiam similes in corporibus copiose adsunt, & earum quantitas per advenientes partes augetur, & ita agilior redditur. Itaque aquae usus corporibus humidis & aquosis nocet, & calida quidem, imprimis laxis, frigida vero rigidis, nam in illis laxitas, in his rigiditas per aquam augetur, & igitur variis symptomatibus ansa præbetur. Theae infusum ob naturalem vim adstringentem rigidis non conducit, quia eorum fibras imprimis frigide adhibitum magis exsiccat, & minus agiles reddit. Si tepide adhibetur, tunc quidem minus adstringit, attamen ob aquam tepidam qua menstruo gaudet, corporum laxitatem auget. Caffea ob activas oleosas partes plethoricis, ficcis, calidis, & pinguibus corporibus non est concedenda, nam in his est nimis efficax & ita nociva, ut ex orgasmo, qui in talibus corporibus facile oritur, vasorum corruptio & læsio sint metuendæ. Hi, ex potulentorum aquosorum quantitate & qualitate derivati, morbi generales, nunc & facilius & maiori impetu in corporibus oriri possunt, si potuum depravata quantitas & qualitas simul agunt, qua ratione hæc potulenta non solum generalioribus, sed specialioribus etiam, & compositis morbis ansam præbere queunt. Imo ex aquosorum potuum incongruo usu corruptis fluidis & solidis, ita graves morbi proveniunt, ut interdum mors ipsa eorum finis sit. Denique lædunt potus aquosi sub quibusdam conditionibus; si nempe e. g. transpiratione nimium

C

aucta

auēta frigida aqua sumitur & hauritur, quo transpiratio sup-
 primitur, obstructions viscerum, & non raro celerrima
 mors causantur; si nimia aquosi potus imprimis tepidi co-
 pia digestionis tempore sumitur, quo vires liquorum di-
 gerentium & primarum viarum debiliores redduntur, ex
 quibus tunc digestio laesa & mala nutritio oriuntur; si
 Caffee potus versus tempus vespertinum adhibetur, cum eo
 humorum motus augentur, necessaria quies & blandus
 somnus abiguntur. Varias adhuc sunt similes conditiones,
 e. g. post curatos varios morbos, aquosa potulenta sunt
 euitanda &c. quas quidem explicare & indicare deberemus,
 attamen non est in his nobis subsistendum, ne nostra ela-
 boratio nimis longa & extensa evadat.

§. 8.

De morbis ex potibus spirituosus.

Si spirituosus in nimia quantitate sumuntur, corpo-
 rum humores vel adeo attenuantur, ut ob humores tenues,
 quibus solida humectantur, haec laxa evadant, vel humores
 dissipantur, quo spissi humores, & solida exsiccantur, qua ex
 causa rigida apparent. Prius modo cerevisiae dulces seu
 albae producunt, quod ex earum virium consideratione
 elucet, posterius autem cerevisiae amarae imprimis saturatae,
 vina & vinum adustum. Cum vero albae cerevisiae ex
 magna aquosa parte, quae non diu in corpore remoratur,
 sed per urinam haud difficulter excernitur, constant, cla-
 rum

rum est, quod haec in minori gradu, quam reliqua potulenta spirituosae, vehementissime exaestuante, & ita, in copia adhibita, ebrietatem inducentia, laedant. Imprimis vero vina & vinum adustum, in nimia quantitate, morbis podagricis & arthriticis ansam praebent, systema nervosum laedunt, hominesque stupefaciunt; parca in dosi hausta, vix nocent, si modo infantes excipias, in quibus morbos gignere possunt, cum in his nullo modo sunt adhibenda, nisi singulares conditiones eorum usum indicent. Moderatus usus sit frigidis debilibusque concessus. Si cerevisiae albae qualitas bona, id est defoecata & non nimis acris fuerit, est innocua & nisi simul in quantitate excessus celebratur, vix laedit; nam eius particulae inhaerentes, si bonae, sunt blandae & vtilis. Si vero eius natura acrior est facta, quod fieri potest, si eae cerevisiae nimis diu sunt asseruatae, tunc humorum acrimoniam & per salis acidivim resolventem resolutionem producant. Cerevisiae amarae autem habent efficaciores naturales partes, itaque earum teneriores corporis partes terrestres involvere, oleosae & calidiores humorum motum intendere, aestum producere, & igitur solida sicca & rigidas fibras efficere queunt. Si acriores, tunc sunt utilibus particulis priuatae, & ita facilius nocent, & acrimoniam producant; quo itaque in statu plane sunt evitandae. Vina ferme eosdem effectus morbosos producant, attamen auctiori in gradu, nam aquosae corporis partes dissipant, & sic pauciores & densiores humores

res

res, & rigidiora solida reddunt; quae etiam vinum adu-
 stum praestat, at vero in maximo gradu. Nam non
 raro oriuntur, ab eorum qualitate, solida ferme plane ex-
 ficcata, ventriculus callosus, & valde imminuta & depra-
 vata humorum copia. Propter naturalem dein vinorum
 tartarum non raro fiunt humores acriores, & ad calculi ge-
 nesin proclives. Particulae autem peregrinae, quarum ope
 spirituosus potus nocent, sunt in his potulentis vel faecum vel
 aquae vel materiae saporem corrigentis particulae. Si nunc
 faeces, in iunioribus cerevisiis & vinis, vino adusto vero non,
 plerumque praesentes, his potulentis sunt admixtae, & eius-
 modi potus sumuntur, tunc flatulentia & primarum viarum
 distensio, ex qua non raro obstructions oriuntur, gignun-
 tur. Si vero aquosis partibus sunt nupta, tunc vires lau-
 datas vix praestant, & eas amittunt, & ita magis corpora
 debilitant, quam iuvant. Si denique cum alienis partibus
 saporis causa sunt coniuncta, tunc plerumque valde noxia
 redduntur, imprimis, si cum aceto lithargyrii sunt man-
 gonifata & dulcificata, saepe numero lethales effectus
 producunt. Quamobrem nil magis, quam cerevisiae man-
 gonifatae & talia vina, est evitandum nam vomitum, hu-
 morum lentorem, lymphae spissitudinem & lentas obstru-
 ctiones efficiunt. Vinum adustum plerumque cum aqua,
 saccharo, aromatibus & succis vegetabilibus e. g. Cy-
 doniorum, cerasorum coniungitur, quem in modum
 etiam naturales vires mutantur, & mox minus mox ma-
 gis

gis utiles redduntur. Horum potulentorum tamen effectus sunt semper vehementes & inutiles; nam primas vias laedunt & exsiccant, lympham coagulant, solida constringunt, humorum motum valde intendunt, eos condensant, & nervos obtundunt; itaque variis gravioribus morbis e. g. viscerum obstructioni, hydropi, paralyfi &c. ansam praebent. Sunt autem quoque in variis corporibus, a quibus spirituosae assumuntur, particulae, quae eorum usum plane impossibilem & nocivum reddunt, quas idiosyncrasiam, usum eorum prohibentem atque, si tamen ingurgitantur, vomitus & alia graviora symptomata producentem, nominamus. Quibus hominibus nulla sunt danda. Sed illis etiam nulla sunt concedenda, quibus iamiam illarum particularum, ex quibus etiam spirituosae constant, copia est, ne haec copia augeatur & magis noxia fiat. Frigidis & aquosis itaque ob nimiam vim refrigerantem & naturam aquosam cerevisiae albae non sunt commendandae. Calidis, siccis & oleo refertis corporibus e contrario cerevisiarum amararum, vinorum & vini adusti qualiscunque usus non est permittendus, nam ex his effectus graviores & velociores morbofi propullulant. Designati morbi generales plerumque ob quantitatem & qualitatem simul oriuntur; & si hoc duplici modo excessus celebratur, tunc morbi gravissimi & celerrimi subnascuntur, qua ratione saepe & haud difficulter ex hac potulentorum specie mors sequitur. Denique spirituosae potulenta sub quibusdam conditionibus nocent; e. g. si cerevisiae albae,

D

amarae

amaras tenues, vina tenuia in transpiratione aucta sumuntur; si spirituosas calidiores imprimis potulenta tempore vespertino adhibentur, quo somnus perturbatur; si post alimenta pingua ea bibuntur, nam haec magis callosa quam resoluta ab eis redduntur; si variae spirituosorum potuum species simul sumuntur, quo facilius ebrietas oritur; si nimis immoderate aut potius celerrime & sine interuallis eorum multum ingurgitatur; si ventriculo ieiuno, qui ab iis distenditur, copiose dantur; & si in variis morbis, aut post eos incaute adhibentur. Sat vero breuitatis causa de his.

§. IX.

De morbis ex potulentis oleosis.

Denique est nobis adhuc de morbis ex lacte praesertim & chocolata generalioribus differendam. In quantitate nimis magna laedunt, dum nimis emolliunt, solida per partes oleosas laxant, humores viscidos & tenaces reddunt, eorum motum ita impediunt, ut lentor, stases & obstructions orientur. Imprimis per oleoso - mucilagineas particulas non solum nimis nutriunt, quo plethora obesa non raro ex eorum usu gignitur, sed etiam vires liquorum digerentium debilitant, eorum necessariam acrimoniam saponaceam inuoluunt, & ita digestionem laedere possunt. Haec dicta vero de lacte & chocolata sine aromatibus valent; chocolata autem cum aromatibus illos effectus in minori gradu & vix producit, alio vero modo magis, dum aliquo modo ut

spi-

spirituosum agit, e. gr. humorum impetum accelerat, calefacit &c. nocet. Ob parcum aut plane neglectum usum haec potulenta vix laedunt, attamen eatenus, quatenus ea effectus laudatos, qui tamen hominibus male nutritis, digestionis vires autem validas & sanas habentibus, sunt necessarii, praestare nequeunt. Qualitate particularum propriarum, homines validos oleosa non laedunt, nisi in quantitate simul peccetur. In debilioribus autem variis morbis, e. gr. febribus ansam praebent. Coagulata vero oleosa potulenta haud difficulter cacochymiam & inde cachexiam producant. Si idiosyncrasia eorum usum prohibet, tunc omnino sunt euitanda, ne nausea & vomitus nociui oriantur. Porro si per morbosas particulas primae viae sunt debilitatae & deprauatae, tunc nullum oleosum, quia non digeri potest, est adhibendum; nam inde malae notae & indolis humores & ex his corrupta solida oriuntur. Si quid acidi in primis viis est, coagulant haec potulenta, quo etiam facile corrupta digestio fit. In oleosis vero & bene nutritis corporibus, non raro gignitur ex eorum usu, propter illarum bonarum particularum coaceruationem, plethora imprimis obesa. Quantitas itaque & qualitas oleosorum ipsorum & corporum, quibus dantur, simul corpora facilius laedunt, & propter humorum natam cacochymiam, & plethoram variis morbis e. gr. haemorrhagiis, intermittentibus, acutis, exanthematicis, malignis febribus &c. ansam praebent. Conditiones denique, sub quibus oleosa declarata laedunt, sunt e. gr. cor-

poris ad humorum visciditatem & rancorem proclivitas; si alimenta acida, aut acidulata sumta, si haemorrhagia qualiscunque est celebrata &c. sub quibus conditionibus non solum humores deprauati, sed etiam solida facile, ratione elasticitatis aut motus vitalis, laesa apparent.

§. X.

Conclusio.

Ex his dictis nunc apparet, quo modo ex potulentis nostrae machinae fluida quantitate & qualitate laedi possint; dum nempe ea fluida augent vel imminuunt, aut humores, vel tenues vel spissos, vel viscidos, tenaces, & rancidos vel aciores reddunt. Solida vero quoque afficiuntur, dum vel laxa, vel rigida, aut debilia aut stricta producuntur. Viscera & organa non minus laeduntur, dum obstructionibus ansa praebetur. Ne corpus autem quocunque modo afficiatur, sunt itaque omnis generis potulenta moderate & caute sumenda. Haec sunt, quae nobis erant breuiter dicenda.

